

A & si seculum hoc præsens respicias, non minus rationis est, ob quam id fiat, quæcumque tum in Israële fuisse, sacra historie & prophetica scripta docent. reuelaris est hæc magistratibus ac iudicibus insolentia, vt non solum de potestate, quam diuinitus acceperunt nimium præsumant, illaq; pro libidine abutantur, sed & agerri-mè de officio suo admoneri sustineant. Vnde & factū est, vt etiam si omnia habeant huius seculi principes, yno tamen hoc careant, quo cum primis opere habent: nempe, vt de veritate cognoscenda, deq; iustitia exequenda, & de erratis emendandis admonemur. Recte itaque, & procul dubio ex Spiritu sancti consilio factum est, vt vel in Ecclesiastica congregazione, vbi nec magistratus, nec subditorum, nec domini, nec seruitu-ryum debet esse discriminis, Ecclesiasticus admonitionibus in via retineantur, & si quid delictum sit, corripiantur. Nisi enim hoc sit, quid reliquum erit, nisi vt planè efferauti absque ullo iustitia præscripto, sineq; o-mnipietate ac religione, omnia confundant ac peruerterent? Inuenias hodie magistratus, qui ita nolint Ec-clesiasticis admoneri ac reprehendi concionibus, vt ministros verbi, si id pro officio suo faciant, seditionis arguant, & vel in periculum vocent, vel prorsus pellant: cum verius ijseditionis ac perturbationis publicæ argui debeant, qui ad vitia & delicta magistratus coniuentes, vulgaria tantum reprehendunt. 1. Primum enim, quantum in ipsis est, causam dant magistratibus, vt in eo quod iniquè præsumunt, absque ultra respi- scientia pergent, adeoq; plebis in se animos magis atq; magis irritent. 2. Deinde eo ipso quod ad magistra-tus iniquos muti sunt, cum in se, tum in magistratus præfractos plebem exasperant. 3. Tertiò Deum quoq; exacerbant, vt iram suam hoc citius cum in magistratus, tum canes mutos, effundat. Hi demum certè noxijs sunt, non qui utrinq; & magistratus & plebes delinquentes iuxta verbi Dei præscriptum arguunt & re-prehendunt: sed qui vel in magistratus tantum, populi applausum venantes, inuehūt, vel in populum tan-tum seueriter feruntur, vt magistratibus gratificantur. Sed videamus ipsum Psalmum.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem tres illius partes. Prima & tertia, primo ac postremo versibus. Prophetæ verba habent: al-tera vero Deo contestationem ad ipsos iudices, versibus 2. 3. 4. 5. 6. & 7. continet.

Prima admonet Prophetæ, Deum esse in senatu potentum, inq; medio deorum iudicare.

Secunda Deum inducit, iniquos iudices ac magistratus reprehendentem, & ad hoc, vt iuste iudicent, serio adhortantem,

Tertiò Deum excitat, vt ipse terram iudicet.

PARS PRIMA.



EV S stat in senatu potentium, in medio deorum iudicat.

VERS. I.

Lectio.
Deus stat in senatu.] Græc. & vulg. Lat. legunt: In synagoga deorum, & in medio deorum diju-dicat. Hieron. In cœtu Dei, in medio Deus dijudicat. Felix: In congregazione iudicis. Pagn. In con-gregatione iudicis, in medio iudices iudicabit.

Sunt hæc Prophetæ verba, tanquam præconis voce præsentiam Dei magistrati-
bus ac iudicibus denunciantia, atque ita animos eorum excitantia: quale est quod suprà Psal. 50. vi. EXPLA-
dimus: Deus, inquit, stat in senatu potentum, &c. Satis innuit Prophetæ, quæ sit peruersorum iudi-
cum ac magistratum impietas: nempe, quod non secus impiè & iniquè iudicent, quæcum si conuen-
tus ac senatus ipsorum absque nutu, præsentia ac prouidentia Dei cogantur. Aioqui quid opus era-
rat initio Psalmi contestim admonere, Deum stare in senatu potentum, & in medio deorum iudicare? At hæc
impetas, quæ omnem Dei respectum abiecit, quid aliud est, quæcum radix quædam omnis iniusti-
tæ? Quemadmodum vicissim hinc iudicibus est verum ac solidum iustitiae studium, si cogitent ac
credant se in conspectu Dei præsentis, & omnia videntis, non suam, sed ipsius Dei exercere pote-
statem. Ob eam sane ratione in Moses cum præciperet hic, qui ad iudicandum erant selecti, vt iuste
iudicarent, hoc illis potissimum inculcauit, quod Deus esset iudicium. & Iosaphat 2. Par. 19 iudici-
bus præcepit dices: Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei, & quod-
cunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta fa-
cite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cu-
pidio munierunt. Et ob eam causam veteres olim eodem loco iudicari conueniebant, quo reli-
gionis solebant exerceri conuentus: vel certè iudicij locum quæcum maximè religiosum esse vole-
bant, ita vt coram aris iudicarent. Tale est igitur quod Prophetæ initio Psalmi iudicibus denunciat,
nempe senatum ipsorum non esse prophanum, non esse alienum à præsentia Dei, sed hunc stare in
ipsorum inedio.

Sunt qui vertant illud בְּעֵדָת אֱלֹהִים, In congregazione Dei: intelligentque quamvis ciuitatem, plebeium
& communionem, præsertim in populo Dei. Ratio certè humana non habet hos oculos, vt videat
plebem, ciuitatem, & communionem populi esse congregationem Dei, sed putat mortales teine-
re ita coniugii, & huianis legibus cogi, & in officio retineri. Fides vero intelligit hasce congrega-
tiones esse Dei, habereque in se præsentiam Dei, qui eas & congreget, & alat, & regat, & benedi-
ctione sua multiplicet. Reddet etiam hic sensus magistratus ac iudices cautos, si perspenderint se nō
bestijs, sed congregationi Dei esse præfectos.

Et in medio deorum iudicat.] Hoc est, Ipse in medio deorum iudex est. Quod bifariam potest intelligi, vel
vt idem sit, ac si idem dicat: Quod iudices iudicant, non iudicant tanquam libera potestate prædicti:
sed ministri sunt Dei, supremi iudicis, qui in ipsorum medio supremam obtinet potestatem. vel vt
intelligamus, eum ita esse in medio deorum, vt de ipsis quoq; iudicet, ac pœnas suimat. Prior sensus
admonet, non esse liberum iudicibus, quiduis iudicare de quo quis: cum sint ministri supremi iudi-
cis, non

D d cis, non